Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35083
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



146

ego ipsum magis quam eos affligebat nimis. Vnde fracebant loth vehementissime. Jam que erant ut effringerent fores. Et ecce miserunt manum viri et introduxerunt loth ad se. clauserunque ostium: et eos qui erant foris percusserunt cecitate a minimo usque ad maximum: ita ut ostium invenire non possent. Dixerunt autem ad loth. habes hic quemquam generum. aut filios. aut filias. Omnis qui tui sunt educe de ciuitate hac. Delebimus enim locum istum eo quod meruerunt clamor eorum coram domino. quem misit nos ut perdamus illos. Tu. E.

Emendemus in melius quod ignorantes peccauimus ne subito preoccupante morte quamuis spatium penitentie tenere non possimus. Attende domine et miserere quia peccauimus tibi. V. Peccauimus cum patribus nostris iniuste egimus iniquitatem fecimus. Attende. i. ts. u.

Commendemus nos metipsos in multa patientia parcamus ultime retributionis dei. ii. Consilia. V. Ipse liberauit me de laqueo.

Egressus est itaque loth locutus est ad generos suos. qui acceperant filias eius dicens. Surgite: egredimini de loco isto: quia delebit dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loquens. Cumque esset mane: cogebat eum angeli dicentes. Surge tolle uxorem tuam. et duas filias quas habes: ne et tu pereas pariter in scelere ciuitatis. Dissimulante autem illo apprehenderunt manum eius et manum uxoris ac duarum filiarum eius. eo quod parceret dominus illi: et eduxerunt eum posuerunque extra ciuitatem.

Ibi locuti sunt ad eum dicentes. Salua animam tuam noli respicere post tergum. ne stes in omni circa regione. sed in monte saluum te fac ne et tu simul pereas. Tu. E.

In ieunio et fletu orabant sacerdotes dicentes. Parce domine parce populo tuo. ne des hereditatem tuam in perditionem. V. Inter vestibulum et altare plorabant sacerdotes dicentes. Parce domine. Ia.

Dixitque loth ad eos. Quaeso domini. quia inuenit seruus tuus gratiam coram te et magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum ut saluares animam meam: ne possum in monte saluari. ne forte apprehendat me malum et moriar: est ciuitas iuxta ad quam possum fugere parua et saluabor in ea. Nuncquid non modica est et viuet anima mea. Et dixit ad eum. Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas: ut non subuertam urbem pro qua locutus es festina et saluare ibi. quia non potero facere quicquam donec ingredias illuc. Idcirco vocatum est nomen urbis illius segor. Igitur dominus pluit super sodomam et gomorram sulphur et ignem de celo et subuertit ciuitates has et omnem circa regionem. universos habitatores urbium et cuncta terre germina. Respiciensque uxor eius post se: versa est in statuam salis. Tu. E. In omnibus exhibeamus nos sicut dei ministros in multa patientia. ut non vituperetur ministerium nostrum. V. Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies salutis commendemus nos metipsos in multa patientia. Vt non vituperetur.

Abraham autem consurgens mane vidit stetisse pauis ad domino.